

Bibliothèque numérique

medic@

**Bottman, Antoine - candidat / Borie,
Philibert - président / Cochon Dupuy,
Gaspard - auteur. - Utrum in triplici
Corporis Cavitate, diversus Sanguinis
motus ?**

1787.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Parisiensis
Typographi
Cote : ms 2337a n°143***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0143](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0143)

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA*

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quintâ
mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXVII.

M. PHILIBERTO BORIE, Doctore Medico, Præsîde.

Utrum in triplici Corporis Cavitate, diversus Sanguinis motus?


I.

OMNIUM Corporis humani partium elegans symmetria, ingeniosa dispositio, sublime artificium. Hic fluida suis coërcentur canalibus; illic ossæ opportunè flexibilem toti Machinæ conciliant rigiditatem; aliæ motrici pollentes *energîâ*, inertem alioqui agitant molem; aliæ firmiores, mollioribus præsidio sunt; quædam tensionum organa, externis agentibus obviæ patent undiquè; quædam, in interioribus reconditæ latebris, exterioribus proteguntur. Internarum, externarumque partium mutuum est commercium, *conspiratio* mutua. Hæ materiem elaborandam, futuram vitæ fomitem, undiquè conquistam, sollicitè suppeditant; illæ succos digerunt & laudabiles distribuunt vitæ rivulos. Utræque sibi famulantur invicem. Nonnullæ tamen numerantur partes, quas meritò principes appellaveris, utpote quarum functiones & usus vitam constituent, sanitatque conferant amplius. In eo resplendescit Naturæ sedulitas, quòd istas, plus minùsve validis munitas propugnaculis, in tuto posuerit, ac veluti circumvallaverit. Tria sunt in corpore partium istiusmodi nobilium repagula. Cranium, ingeniosâ constructum architecturâ, muniendæ molliori cerebri substantiæ comparatum est. Thorax, ossis, cartilagineisque compositum arcubus, vitæ destinata recipit organa. Abdomen, carneis, mobilibus & elasticis constans parietibus, multiplicis generis viscera complectitur. Tres illæ cavitates totidem sunt officinæ, in quibus, circulantis beneficio sanguinis, cuduntur fugientis & in dies labantis vitæ retinacula.

I.

FLUIDIS, in corpore sano, tam proprium est circulari motu progredi, quàm necessarium. Fluiditatis inimica & corruptionis parens est stagnatio. Hinc circulationem nullibi non reperias. In ore saliva depluit à sanguine secreta, rursus

* Propug. anno 1732, à Gaspard COCHON DU PUY; M. Hyac.-Theod. BARON, Præsîde.



sanguini remiscenda ; dum alimentis molliem humiditatemque supplet. Chylo diluendo , requiritur uberior lymphatici copia laticis ; hinc ubique separatur à sanguine lymphaticus humor , chylo progredienti permiscendus. Resinosæ acresque particule , si sanguinem inficerent , omne perverterent nutritionis opus ; hinc in hepate deponuntur , intra sanguinis alveum revehendæ , cum alimentorum cœctioni perfectionem attulerint. In testibus percolatur , præcipuus generationis opifex , semen , quod in sanguinem refluit , aliis partibus robur impertit ac vigorem. Major in sanguine salium proventus , optabilem corrumpet ipsius dulcedinem ; hinc renibus fero diluti dimittuntur , dum per gulam interea nova semper accedit ab alimentis falsedinis materies. In cerebro nobilis & vivificus à sanguine præparatur humor , spiritus animalis , qui suo functus officio in sanguinem refunditur denuò secernendus. Ex arteriarum extremis stillat & in adiposâ membranâ deponitur pinguedo , quam resorbent venarum capillamenta. Aëris ipsius nonne datur in corpore circuitus , dum alimentis , excrementisque permixtus aër continuò ingeritur æque ac egeritur ? Omnia circumeunt in corpore , jugique abripiuntur motu ; nihil in eo permanens , nihil perenne , nisi ipsa circulatio , quæ pro triplici cavitatum differentiâ , juxta diversas leges , per diversimode configurata vasa , diversis concurrentibus causis exequitur , diversaque exhibet phenomena.

III.

IS est sanguini indictus à Naturâ generalior circulandi modus , ut ventriculi cordis sinistri contractione vehementer impulsus , per arterias , aortæ ramos , in varias corporis partes distribuatur , singulis motum , calorem , vitamque largiturus. Hunc suo defunctum munere , in cor transmittendum excipiunt venarum capillamenta , quæ sensim crescunt eundo , majoresque constituunt venarum ramos , arterias numero & diametri latitudine superantes. Tali constructis artificio vasis , vehitur revehiturque cruor , cordis & arteriarum diastole ac systole alterno motu oscillantibus. Jam si singulas scruteris corporis cavitates , aliquid discriminis ubique reperies. Num juvat pectoris latebras introspicere ? En à generali circulatione longè dissimilis , nova sese profert circulatio cruori subeunda , priusquam ex omnibus redire partibus , sinistro cordis ventriculo denuò committatur : transitum intellige sanguinis per pneumaticam pulmonum machinam. Non hic sinister cordis ventriculus , sed qui à dextris situs est alter , moventis organi munus adimplet. Non hic sufficiunt cordis robur , arteriarumque systole ; nova , huic perficiendæ circulationi , accedat causa necessum est : aëris nempe pressio & elaterium , quæ , nisi implendo , complicata explicarent vasa , progredientique fluido calcar adderent , præceps instaret suffocationis periculum. Non hic numerosiores latioresque venæ vectum per arterias revehant liquorem ; sed illum , aëris frigore condensatum , excipit strictior quàm in arteriis venarum pulmonalium alveus. Plura quæris in pectore ? Cor ipsum proprias & peculiare agnoscit in sanguine circulandi modos. Coronariæ ipsius arteriæ , ex aortæ basi oriundæ , à solitâ omnium corporis arteriarum deflecentes lege , cordis motui famulantur , communesque ac *synchronas* cum eo exercent oscillationes. Nec in venas tantum , sed & in ipsummet sinistram cordis finem sanguinem exprimunt arteriæ coronariæ ; hic nova exurgit , nec alibi observanda , sanguinis circulatio , quæ intra ventriculi cordis sinistri & aortæ trunci limitibus comprehenditur ; dum nempe exigua sanguinis portio expellitur ex aortæ trunco in arterias coronarias , quæ accepti sanguinis partem , venis & pulmonibus insalutatis , ventriculo sinistro restitunt , in aortam , rursusque in coronarias arterias refundendam.

IN abdominis cavo quot delitescunt viscera, tot deprehenduntur circulationum modi. Sanguis per arterias mesentericas & coeliacam progrediens plerisque ventris infimi distribuitur visceribus, ibique diversimodè circulando, diversis fungitur officiis. Hic liquorem gastricum, illic lympham exuit intestinale; hic succum pancreaticum deponit, illic pinguedinem; teritur in liene, in omnibus demum salis volatilis, resinotarumque partium evolutionem recipit. Cruori, tot variis agitato motibus, nova manet adhuc suscipienda circulandi ratio, abdominis cavitati propria. Sanguinem per memoratas vectum arterias quæ revehunt venæ, in ampliorem venæ portæ sinum concurrentes, rursus dividuntur in capillamenta arteriarum æmulæ. Sic venosus sanguis, arteriosi vices adimplens, secretioni materiem suppediat, jamque emensas semel capillarium relegens angustias, bilem, quæ turget, exuit in hepate. Tandem venæ cavæ capillamentis exceptus, in dextrum cordis ventriculum refunditur, duplicem expertus in abdomine circulationem. Peculiarem hunc sanguinis motum peculiaris causa juvat: scilicet, diaphragmatis & muscutorum abdominis alternans oscillatio, quæ contenta molliter versando viscera, remotam à venæ portæ ramis cordis potentiam supplet, supplet & absentem arteriarum systolem. Quid plura? Quæ in abdominis cavo latitat uteri cavitas, nonne diversæ circulationis exhibet specimina? Hic singulo mense mactatur quasi victima, & ex ipso sanguinis fluxu viget partis incolumitas. Num gravida gestat utero mulier? Nova prodit in sanguine circulationis species. Omnia sine periculo dilatantur enormiter uteri vasa, appellat uberius purpureus latex, homuncionis pabulum depositurus. Fœtum inter & placentam per umbilicalia vasa novæ circulationis nectitur commercium. Fœtus quoque proprium in se continet cruoris circuitum, dum venâ cavâ advectus sanguis, pulmonem, aëris defectu flaxidum, omittendo, per foramen ovale, arteriosumque canalem, in aortam detorquetur statim, quandiu fœtus abdominis materni comprehenditur carceribus.

V.

SUPREMUM corporis ventrem nunc rimemur oculis. Qui rectâ viâ ad partes destinatas fluit ubique sanguis arteriosus, hic per tortuosos vasorum flexus progreditur. Vertebrales arteriæ inter foramina, quibus transversæ vertebrarum colli perviæ sunt apophyses, flexuoso ductu vehunt sanguinem ad cerebrum. Carotides internæ, intrâ sinuosum apophyseôs petrosæ ductum & circa sphœnoidis sellam, reptant serpentino gressu: ut sic per varios angulorum obices, crassioribus moræ nectantur partibus, dum prætergreditur tenuior pars, spirituum secretioni suffectura materiem. Nec minus à solitâ ratione recedit sanguinis reditus à cerebro. Arteriarum comites venæ, non (ut fieri solet) ad cordis usque cavum producantur; sed contentum sanguinem deponere impatientes, breviori ductu, eum intrâ peculiaris naturæ canales, duræ menyngis sinus, exonerant, horum ope in venas jugulares vertebralesque transmittendum. Quis jam, ex hoc tam dissimili vasorum apparatu, diversum in sanguine non agnoscit motum? Sed quantò patet evidentius illud circulationum discrimen, si diversæ capillarium distributiones sagacioribus lustrantur oculis, si intima viscerum penetralia solerti injectionum arte referantur? Omnes circulationum vias nondum affecutus est qui circa crassiores vasorum ramos immoratur tantùm. In abscondita Naturæ miracula longè penetrant altius perspicax microscopiorum acies, mentiensque sangui-

4

nem subtilior cera. Quæ in crassioribus vasis adeò variat Natura, dum diversa meditatur opera quantò magis à se ipsâ dissimilis est, dum in ipsis capillaribus operatur. Ut jucundum est spectaculum, intrâ diversas corporis cavitates diversa contemplari vascula, mille complicata modis, mille angulis sese invicem decussantia, modò in globulos contorta, modò expansa in arbores, modò in reticulos conformata. Hæc omnia sanè sanguinis diversimode circulantis argumenta.

Ergo in triplici Corporis Cavitate, diversus Sanguinis motus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ant.-Chaumont SABATIER,
Regis in Portu Bressensi Me-
dicus.

M. Car.-Jacobus SAILLANT.

M. Natalis-Nicol. MALLET,
Consiliarius Medicus Regis
in supremâ Monetarum Cu-
riâ.

M. Joannes-Franciscus-Achilles
DE LAQUETTE, Eques.

M. Theobaldus NIZON.

M. Franciscus - Ludovicus
THOMAS-DONGLÉE.

M. Henricus-Joannes BAGET,
rei Herbariæ Professor desig-
gnatus.

M. Jacobus - Franciscus DE
VILLIERS, olim Regis Exer-
cituum Medicus ordinarius in
Germaniâ.

M. Guillelmus FUMÉE.

Proponebat Parisiis ANTONIUS BOTTMAN, Warsawæus, Consiliarius Aulicus
S. M. Regis Poloniæ, Doctor Rhemus, necnon Saluberrimæ
Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1787. AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi.